


Dissertatio  
inauguralis physiologico-medica  
de

# Perspiratione Cutanea,

quam  
consensu, et auctoritate  
Magnifici Domini Praesidis et Directoris,

Spectabilis Domini Decani,

nec non totius Inclitae Facultatis Medicae, pro  
Doctoris Medicinae laurea rite obtinenda, in Regia  
Scientiarum Universitate Pesthiensi ulteriori Eruditorum  
disquisitioni submittit



Emericus Lovász,  
Hungarus nobilis Debreczinensis.

In theses adnexas disputabitur die 31. Decembris 1831.  
in aedibus Facultatis Medicae.

---

Pestini,  
Typis Josephi Beimel, Typographiae Strigoniensis, et  
unius e Pestanis Proprietarii.

Die Pathologie kann nicht rationell werden wenn sie nicht physiologisch behandelt wird.

Reil.

Valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione  
earum rerum, quae res aut prodesse soleant aut obesse; et  
continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi caussa,  
et praetermittendis voluptatibus, postremo arte eorum quorum  
ad scientiam haec pertinent.

Cicero. de offic.

## Ad Lectorem.

Dissertationem pro summis in medicina honoribus consequendis, de argumento medico pro lubitu eligendo elaborare et typis vulgare legibus academicis jussus: hanc ab ephemera, quam opuscula talia vivere solent vita, si qua possem, vindicare cogitabam. Hoc consilio in tanta materiarum quas ars et scientia medica, tantum aevo nostro sui incrementum nacta suppeditare poterat varietate et ubertate, argumentum mihi eligendum erat, quod eorum etiam attentionem in eo converteret, qui scientiarum medicarum expertes, sanitatis autem conservandae studiosi, scripta medicorum captui ipsorum accommodata, volvere et revolvvere amant. Invenies igitur L. B. in medica quam coram habes diatribe, occasione perspirationis cutaneae physiologice pathologice et therapeutice pertractatae, refrigerii — uberrimi morborum fontis — sequelas rudi quamvis penicillo, ea tamen ratione adumbratas, ut eas etiam ipsi penitiori rerum medicarum intelligentia destituti non sine fructu legere

possint. Quodsi opusculum plures, quam alia id genus scripta lectores invenerit, eosqne ad sanitatem corporis tuendam attentiores reddiderit: habebo certe cur mihi gratuler, magnoque id mihi erit, ad commentationes neditas usibus et captui non medicorum accommodatas — maturiores ingenii, scientiae, et experientiae uberioris fructus — lingva vernacula edendas, incitamento.

*Hoc opus hic labor est, parvi properemus et ampli,  
Si patriae volumus, si nobis vivere chari.*

Horat.

Dabam Pesthini die 36-a Decbr. 1831.

Auctor.

## Pars I.

### Succincta perspirationis cutaneae physiologia.

§. 1. *Nomino perspirationis cutaneae intelligitur processus biochemicalus integumentorum communium et membranae mucosae pulmonum, quo humores a sanguine diversi organis utrisque excernuntur. Duplex inde distinguitur perspiratio, pulmonum altera, altera integumentorum communium, seu cutis externae; cuius duplex iterum species, insensibilis quippe, et sensibilis, seu sudor statuitur. Per priorem, humores excernendi in vapores expansi, organismi limites superant, per alteram in globulos ii aquosos oculis etiam inermibus visibiles congressi, seu guttati in superficie cutis externae dispersi conspiciuntur. Notio tamen perspirationis cutaneae ad perspirationem istam insensibilem vulgo restringitur.*

§. 2. In doctrina de perspiratione cutanea inquirendum est: 1. In existentiam eius, an nimilum perspiratio cutanea revera detur? 2. In qualitates materiae perspirabilis. 3. In fontem eiusdem. 4. In quantitatem, et denique 5. Rationem in qua perspiratio cutanea cum aliis organismi functionibus versatur.

§. 3. Perspirationem cutaneam revera contingere, ex pluribus observationibus, et experimentis colligitur. In aëre frigido, vel etiam si frigidus non sit, tamen condensato visibiles, et ex tota corporis superficie et ex pulmonibus per os, et nasum vaporē exhalant, quoniam ob defectum caloris, in aëre non soluti pendent; vitrum prope corpus humanum positum ex eadem ratione obfuscatur; limites umbrae corporis animalis in pariete lucido parum circumscripti, nēc facile distinguendi conspiciuntur; crustae cutis deciduae saepius fumant; e partibus corporis obductis liquidam aquosum, et bullæ aëreæ ascendunt, quae vestes inquinant. Etiam diversus animalium diversorum quin diversorum ejusdem speciei individuorum odor pro perspiratione eorundem cutanea loquitur. Decrementum porro ponderis, quod omnia corpora animalia, per certum temporis intervallum, nullis interea aliis excretionibus, faecis alvinae, urinae, muci, etc. locum habentibus patiuntur, perspirationem cutaneam adesse testantur. *Sanctorius*, qui primus omnium accuratiora de hac re experimenta per plures annos saepius repetita instituit, omnes intra certum temporis intercedinem corporis sui excretiones visibiles, omniaque quibus vescebatur alimenta et potulenta ponderavit. Differentia, quae absolute illo temporis spatio, subtracto excrementorum visibilium pondere, inter corpus ponderis verum, et incrementum ponderis, quod illi per alimenta, et potulenta assumta accedere debuisset, quantitatem materiae per perspirationem amissae efficere debebat. Methodus tamen ista quantitatem perspirationis cutaneae explorandi, scopo hactenus non respondet, quod ea perspirationis quantitas generalis,

non vero specialis pulmonum, et cutis externae determinata est.

§. 4. Aliam serius *Lavoisier*, *Segvin*, *Abernethy*, et *Cruikshank* producta functionis utriusque, perspirationis quippe pulmonum, et cutis externae, seorsim investigandi methodum invenerunt. Cujus quidem methodi summa in eo cernitur, ut vel pars tantum corporis humani, vel vero totum corpus involucro euidam aëri impervio includatur. In casu priori, humores intra certum temporis spatium excreti, et collecti ponderantur, tum calendarus instituifur ad rationem quam superficies partis corporis clausae, et experimento subjectae, ad totam corporis superficiem habet explorandam, qua investigata, productum perspirationis totius corporis superficie intra datum temporis spatium calculi arithmeticci ope facilis negotio eruitur. In casu posteriori totum corpus involucro e tela bombycina cera obducta confecto circa os rite munito, et fixo includitur, ita ut quidquid perspiratione cutanea excernitur, in involucro isto accumuletur. Si jam corpus ad initium, et finem temporis dati ponderetur: jactura quam pondus corporis intra datum tempus passum est, quantitatem perspirationis pulmonum dabit, siquidem ponderi corporis nihil praeter id, quod perspiratione pulmonum amissum est, interea decadere potuerit. Quo facto experimentum idem eadem ratione absque tamen involucro iteratur, per jacturamque ponderis corporis intra dati temporis spatium obtentam productum perspirationis cutaneae universae obtinetur. Quodsi jactura haec ponderis, illi quae occasione experimenti prius instituti obtinebatur, subtrahatur: quantitas inde per-

spirationis cutaneae — ea pulmonum excepta — seorsim prodeat necesse est.

§. 5. Qualitas materiae perspirabilis — quam ob indolem suam dotibus organicis privatam *recrementum animale* (állati salak, Thierschacke) in sequentibus appellabimus — pro ratione organi quo excernitur, et pro vario quo gaudet consistentiae gradu, mirum in modum variat. Materia perspirabilis pulmonum, uti processus respirationis, et experimenta circa eum instituta evincunt, est aqua, et acidum carbonicum, cui parum muci, ex viis respirationis accedit. Etiam materia perspirabilis cutis maxima ex parte aqua, et acido carbonico constat, aqua tamen majorem ejusdem partem constitente. Acidum carbonicum per perspirationem cutaneam revera excerni patet ex experimentis ope vasorum vitreorum institutis, in quibus cum diversis corporis partibus applicata essent, aér acido carbonico impregnatus repperiebatur. Azotum per perspirationem cutaneam excerni nullis adhuc experimentis evinci poterat. Praeterea substantia quaedam oleosa, per processum perspirationis, in externa corporis superficie generatur, ibidem accumulatur, et ex parte vestimentis adhaeret, flamma albicante ardet, substantia carboni simili relicta. Materia cutis perspirabilis indolem manifeste acidam prodit, eodem quo reliqua acida succos plantarum caeruleos colore rubro imbutentem. Variat tamen pro variis corporis partibus, id quod praeter diversum odorem singulis corporis plagiis proprium experimenta etiam a Jurine instituta evincunt, quibus constat aërem infra axillas cumulatum, etiam sub diversissimis rerum adjunctis, magis,

quam eundem in regione abdominis, et partibus vicinis abundare. Eadem haec materia perspirabilis in diversis animalibus, et in diversis ejusdem speciei individuis diversissima est, quae proprii singulis speciebus, quem spargunt odoris fundamentum constituit.

§. 6. Sudor constat, ex insigni aquae quantitate, et secundum Thenard, ex natro muriatico, parva calcis phosphoricae, et oxydi ferri copia, et exigua substantiae animalis, quae gelatinæ simillima est copia, acido denique aceticō liberō. Acidum tamen aceticum, si Berzelius audiendus est, per analysim ex acido lactis, quod secundum suam opinionem acidum sudoris, et materiae perspirabilis liberum constituit, excluditur, vel ut dicunt producitur. Acidum hocce Barthollet temere pro acido phosphorico olim declarabat. Acidum revera phosphoricum in sudore arthriticorum Jordan, bilem vero in sudore ictero laborantium contineri celeberrimus Orfila observavit.

§. 7. Fontem materiae perspirabilis, sistema praecipue vasorum capillarium in superficie cutis, et membranae muciparae pulmonum collocatorum, glandulae item, quae in larynge ut glandulae muciparae, in cute externa vero, ut glandulae sebaceae, in quibusdam praecipue locis, ut in naribus eminentius evolutae sunt, constituant.


§. 8. Quantitatem perspirationis cutaneæ quod attinet: ea tam in organismo eodem, quam in diversis organismis, mutationibus plurimis est obnoxia.

Jactura ponderis apud hominem sanum, intra sexagesimam horae per processum perspirationis amissi, aequalis censemur granis 18, quorum 11 cuti externae, 7 pulmonibus adnumerantur. Neque tamen quantitas haec materiae perspirabilis exakte determinata censenda est, siquidem acidum carbonicum, per processum respirationis pulmonibus eliberatum per oxygenium sangvini admixtum non quidem tota, sed dimidia fere ejus quantitas, ratione ponderis habita recompensetur.

§. 9. Ratione in qua perspiratio cutanea cum aliis corporis functionibus, praecipue autem excretionibus versatur; intensitas ejusdem, seu vis pro variis rerum adjunctis valde diversa determinatur. Summum ea primum quoque, et attentione dignissimum cum digestionis officina fovet commercium. Tempore pastus, et immediate post illum energia functionis hujus maxime est depressa, quae tamen digestione incipiente evigilat, eaque tenore debito procedente sumopere viget, ita ut digestionis officio quacunque ratione turbato, turbae inde etiam perspirationis cutanearae oriuntur.

§. 10. Diversitates hae commodissime inde explicantur, quod in casu quidem priori energia secretionis acute externa, et pulmonibus, ad ventriculum, et tubum intestinalem conversa est; in casu autem posteriori, alimenta recenter assumta, et jam ex parte assimilata, per auctam sanguinis copiam, circumque ejus expeditiorem, cutis turgor, et calor increscit, quo resolutionem aquae adjuvante, aquae in vapores subtilem expansio, adeoque perspiratio facilior, et uberior redditur.

§. 11. Copia alimentorum solidorum nullum, notabilem saltem ad quantitatem perspirationis moderandam exserit influxum, quae tamen alimentis fluidis, praecipue calidis copia sat magna sumtis, nimum quantum promovetur. Cum excretionibus materialium fluidarum, et solidarum, antagonisticum ea fovet commercium. Minuitur enim faecium alvinarum, et urinae excretionibus auctis, et vice versa. Summe tamen memorabilis inter varia corporis organa, vel stante hac antagonistica eorum quoad excretiones ratione, obtinet harmonia; et pulcherrimus dominatur concentus; ita ut non obstante diversa alimentorum, et potulentorum assumtorum quantitate, et qualitate, variisque aëris atmosphaerici influxibus, corporis hominis sani adulti, post 24 horarum a pastus tempore numerandarum intercapedinem, idem quod ante pastum fuerat, pondus revertatur.



## Pars II.

### Pathologia perspirationis cutaneae.

---

§. 12. Functiones systematis cutanei insigne physiologiae objectum constituentes, summam si a normali sanitatis tramite aberraverint, pathologi in origines, et caussas morborum, latissime per universum genus humanum diffusorum inquirentis, merentur attentionem. Intimus eorum cum functionibus omnium aliorum systematum, et organorum et singillatim, et universim consideratis nexus, et relatio eorundem mutua in causa est, ut secundum supremas, et immutabiles vitae leges, a statu eorundem normali sanitas corporis dependeat, abnormis autem eorundem conditione valetudinem adversam producere debeat.

§. 13. Cujus quidem asserti veritas, ut eo magis pateat: juvabit rem paulo altius repetere. Polaritatem quandam conspicuam, et manifestum inter remotissima cutis externae, et internae puncta, inter viscera item organa, et systemata organismi diversa; antagonismum locum habere, quo energia humum depressa, actio aliorum mutuam cum illis rela-

tionem habentium exaltetur, id vero inter omnes attentiores rerum observatores ipsosque adeo scientiarum medicarum expertes; jam dudum constat. Etenim quotidie fere observare licet, suppressam vel imminutam perspirationem cutaneam fluxum urinae, vel alvi uberiorem sequi, sudorem continuum alvo segni, urinae fluxu parciore excipi, et viceversa aquam frigidam, vel plane gelidam etiam tempestate frigidissima majori quantitate usurpatam, ipso hauritur momento, sudorem parciorem quo vel uberiori provocare, praecipue si corpus postea debite caeliat, calorque ejus lecto soveatur, augeatur. Pedibus frigore praecipue humido correptis, coryzam, catarrales item oculorum; aurum, viarum respirationis affectiones, rheumaticos denique partium diversarum et remotissimarum dolores, quin reliqua cutis pars in consensum trahatur, progenerari, saepius experiri cogimur.

§. 14. Quamvis sententia physiologorum recentiorum affirmantium, sistema cutaneum non tantum ex integumentis communibus externis, internoque tubi intestinalis involucro constitui, verum etiam laryngem, cum pulmonibus, genitalia item, universaque tubi intestinalis organa secretioni dicata, una cum viis uriniferis partem ejusdem efficere, paradoxa prima fronte videatur: pathologo tamen rationalem geneseos morborum explicationem molienti, assertum illud physiologorum, naturae rationique convenientissimum omnino videri debet. Nemo enim unquam istius, quam modo descriptsimus polaritatis et antagonismi inter remotissimas organismi partes procul dubio vigentis rationem justam reddere: nec

phaenomenorum morbosorum inde profluentium, explicationem rationalem dare poterit, nisi (cavorum horum, et viscerum arctissimum cum cute externa nexum admiserit. Ut pathologia ea tandem, quae nemimi non est in desiderio simplicitate et perspicuitate gaudeat: physiologicis superstruatur principiis, et ex physiologicis deducatur fontibus necesse est.

§. 15. Idem hocce assertum' physiologicum, cuius veritas iterum anatomicis investigationibus indubitatis tamquam basi innititur therapeutae etiam solerti, radicalem morborum curam intendent, ut res summi momenti nunquam negligenda, sed pro certa quam sequatur cynosura spectandum erit.

§. 16. Caussae, quae functionem cutis turbare solent, nec eaeadem semper sunt, nec aequalis semper earundem actio. Manifestissimus fit earum effectus, cum corpus post violentius virium et musculorum exercitium, vel ex quacunque ratione interna vel externa aestuans, frigori intensiori repente, magis adhuc si vestibus exutum aëri frigidiori, maxime vero si tractui ejusdem, ex parte tantum exponatur. Corpus tam repentinam temperaturae vicissitudinem subire coactum, vel in summum vitae discrimen adigi, vel saltem hemiplegia in ipsis etiam individuis iuvenilibus, omnibus dein artis salutaris conatibus rebelli, corripi potest. Caussam in hoc casu mortis repentinae vel hemiplegiae — si celeberrimus G. H. Ritter audiendus est — qui plures quam 35 annos in morbos ex refrigerio ortos attentionem suam se convertisse asserit, cujus proinde plurimum hac in re valet auctoritas, constituit perspirabile cutaneum in

ipso excretionis momento cohibitum, cùte interna suscepitum, et celeritate maxima ad organon sensus centrale, ad cerebrum quippe trajectum, cuius functio vel ex toto, vel ex parte illico intercipitur (Vide Allgemeine Enzyklopädie der Wissenschaften und der Künste VI Theil Seite 429.) Ad functionem cutis, eamque in gradu eminentiori turbandam, morbosque inde producendos, sufficit interdum, si corpus paulo vehementius perspirans, vel plane in sudore constitutum, post graviores commotionem in aëre frigido in quiete diutius perseveret. Hoc in casu materia perspirabilis in superficie cutis haerens, magnam huic calorici vim subtrahit, ut in vapores se expandere, et in forma gas avolare possit. Cum jam calorici multo minus in quiete quam prius excludatur, aequilibrium inde necessarium turbetur oportet. Excretio porro materiae perspirabilis, et producti perspirationis recrementi cutanei, quae aequali semper tenore procedere debet, ideo etiam impeditur, quod illa non amplius tantum calorici invenire potest, quantum sufficeret, ut in vapores extensa limites organismi superare queat. Ad interiora igitur corporis redire ibi rursus assumi, indoleque sua aliena qualitatibus organicis jam privata, eam quam supra memoravimus polaritatem, et antoganismum, in remotissimis systematis cutanei latiori sensu sumti, punctis excitare, turbas in illis functionum varias ciere, vicariamque organi cuiusdam secretorii, hepatis, renum, et tubi intestinalis secretionem procreare necessario debet.

§. 17. Systematis cutanei officium tunc etiam a recto aberrat tramite, cum corpus in aëre frigidiori versatum, modicam quidem nec tamen tantam facit

sui commotionem, quantum requiritur ad jacturam calorici aëre frigido eliciti, ope exercitii musculorum resarciendam. Aër etenim corpus omnium quae nobis nota sunt corporum longe frigidissimum, non alio calore gaudere potest; quam quem aliis corporibus per immediatum contactum subducit. Facile hinc noxiae quas tractus aëris frigidi, et turbines, in corpora animalia exserunt sequelae, et influxus saepe deleterii intelliguntur. Imo vel minima temperaturae aëris ab eo quem secundum rationes corporis organici, quod in ea versatur individuales habere deberet gradu aberratio, nocivae in corpus humanum potentiae instar agere, insignesque gravissimae systematis cutanei quoad sanitatem functionis turbas ciere potest, si illud aëri sic constituto diutius pateat, vel justa destituatur virium exercitatione.

§. 18. Denique turbati cutis officii, vel penitus suppressi culpam, humores aquosi vel cutem ipsam vel vestimenta eam obtegentia penetrantes gerere possunt; id quod affinitati chemicae qua aqua ad caloricum trahitur, quaeve cum colorico in vapores aqueos transmutari, et sic avolare amat, adscriendum est. Caloricum hocce aqua semper parti proximae quae in hoc casu cutis est subducit, unde status jam prius indigitatus sequitur, abnormis nimirum calorici proportio, ob cuius penuria materiae perspirapilis excretio interrupitur, et quin excreta, aequali semper tenore iu vapores expansa avolare possit, praepeditur. Aër etiam humidus, et magis adhuc nebulae abnormem hanc rerum faciem producere possunt, si in aquas mutati vestimenta penetrent, ibique per corpus humanum relative calidius, in va-

pores abeant. Tractus aëris humidi dupli nominē noxiū sit oportet. Potulenta denique frigida corpore aestuante hausta similes ex iisdem causis exserunt effectus.

§. 19. Ex horrendis perspirationis cutaneae sūppressae, vel turbatae sequelis, quas experientia quotidiana suppeditat, à nobis etiam inferius uberior illustrandis, — paralysibus, doloribus rheumaticis catarrhalibus, — quae morteni ipsam repentinam inducere possunt, saepius autem insanabiles producunt morbos, cum summa verosimilitudine concluditur, recrementum animale refrigerio retentum, et ad organa nobiliora repercussum vires venenatas easque in gradu eminentiōri possidere.

§. 20. Cujus quidem effati veritatem, vel unicum exemplum satis comprobabit. Occasione frequentissimi cujusdam mercatus in urbe Indiae orientalis H adword celebrati, ventus frigidus mense aprilī repente exortus secundum flumen Ganges fluxum suum dirigens, cholera adeo horrendam produxit, qua intra quadriduum 20,000 hominum perempta sunt. Nulli unquam pesti vel maxime saevienti tot, intra tam breve temporis spatium victimae succubuerunt. Non quidem deleterios adeo semper effectus exserit recrementum hōcce animale refrigerio repercussum, veneni tamen semper acutū instar agit, cum sequelae ejus, inflammations puta, diversae febres, et dolores comparent, quae per totam saepius vitam miseris affligunt mortales. In casibus denique longe plurimis, et supra fidem omnem frequentioribus actionem illud suam, ut venenum lentum exserit, — mi-

nime tamen adeo lentum uti potus coffeae secundum Voltairum — si nimirum corpus sub coelo paulo inclem-  
tiori, quin debite exerceatur, diutius perseveret.  
A dupli infectio ejusmodi venenata caussa repetenda esse videtur secundum subtilem celeberrimi G. H. Ritter viri sagacissimi cuius auctoritatem hic iterum sequimur theoriam; partim nimirum a spatio, quod inter internam, et externam cutis externae superficiem bis cogitare debemus, per recrementum cutaneum refrigerio cohbitum, ultra quam par est adimpleto, unde spatii eiusdem seu capacitatis coarctatio sequitur; a sublato item infer assumta, et eliminata concentu, et harmonia, cum nimirum materia organica in uno systematis cutanei sine non amplius resolvitur, et eliminatur, eadem in fine altero aequali semper adhuc tenore formata, et accumulata, velut uno omnia complectamur verbo a vitiata metamorphosi, cui omnis processus vitalis innititur, vel potius qui cum ea unus idemque habendus est; parvum vero a compositione chemica quam perspirabile cutaneum per nova qua serius ingressum est connubia exhibet, cuius effectus est, ut materia organismo paulo prius homogenea, refrigerio repercussa per longiorem in organismi interioribus commorationem, characterem heterogeneum, indolemque adeo alienam assummat, ut fibrae sensibles eodem, ceu stimulo ultra quam par est incitante enerventur, paralysi corripiantur, vel si actio ejus mitior sit, status hypersthenicus, inflammatio, serius per subsequentem suppurationem, materiae organicae destructio, dolor, et paralyses partiales cieantur. Statui huic abnormi, sublatum reliquorum organorum concentum comitem se adjungere debere: nulla amplius indiget demonstratione.

§. 21. Quidquid autem ab aliis in veritatem theoreticarum harum speculationum labefactandam, nobis obvertatur: castissimis tamen summorum practicorum, observationibus, testimoniisque omni exceptione maioribus innixi, uti axioma indubitatum assertum sequens pronunciare audemus: *morborum, qui homines affligunt, longe plurimos — si contagiosos exceperis — turbata cutis functione provocari.* Axioma hocce pathologicum a viris ingenio et rerum medicarum scientia excellentibus nondum ex omni parte et pro rei gravitate illustratum, summa medicorum practicorum attentione dignum est, licet a plurimis eorum prohdolor! saepissime negligatur. Imo celeerrimus G. H. Ritter dicit, se posteaquam morbos varios in hominibus diversissimae sortis; et in omnibus fere vitae conditionibus, per 35 annorum decursum observasset sine ullo rei exaggeratae metu statuere audere: ex omnibus 20 morbis 19 ab immediatis, vel mediatis refrigerii sequelis esse repetendos, vigesimamque eorum nonnisi partem, quamvis frequentes alioquin sint, alium praeter refrigerium fontem agnoscere.

§. 22. Caussas immanis hujus morborum, qui ex refrigerio incaute admisso contrahuntur frequentiae quod attinet, illae partim in coeli sub quo vivitur intemperie, partim in perversa educatione puerorum physica, partim denique in constructione aedium parum commoda quaerendae sunt. Summum in sanitatem hominum clima exserere influxum, caussamque refrigerii praecipue ita constitutum, ut repentinae temperaturae vicissitudines frequentius recurrent, facere vel ipsis rerum medicarum expertibus satis notum est. Coelum Hungariae quod attinet, ut ejus

quoque obiter mentionem faciamus: illud magnis efferi potest laudibus, patriaque nostra charissima merito hoc etiam respectu plurimis Europae regnis anteponitur. Nec praedicari ulla ratione de Hungaria posset, quod legatus olim Francogallus apud aulam quandam Germanicam facete nonminus quam vere de coelo Germaniae dixit. „il y-a dans votre chére Allemagne huit mois d'hiver, et quatre mois du mauvais tems.“ Immensum igitur morborum refrigerio productorum quo populares nostri divexantur agmen, educationi puerorum physicae, opinionibusque quibusdam praecognitis, quae in adultorum ipsorum animis altas dein agunt radices, innumeris denique qui hoc respectu, partim ex ignorantia, partim ex levitate animi committuntur abusibus erit adscribendum. Qua quidem de re uti re summi momenti, opportuna hic nobis datur occasio paulo uberioris disserendi. —

§. 23. Duæ sibi invicem e diametro oppositæ viguerunt olim, et vigent hodie dum de argomento hocce gravissimo sententia abusibus totidem sibi invicem contrariis occasionem trahentes; idemque hic quod in omnibus fere rebus majoris momenti, ex natura imbellicitatis humanae accidere solet, evenire videmus, ut nimirum *incidat in Scyllam, qui vult vitare Charybdis.* — Saepius observare licet, male sedulo matrum vel nutricum studio, infantes a minimis aëris exterui influxibus defendendi, cutem eorum adeo teneram mollem, et erga minimas temperaturae vicissitudines adeo sensilem redi, ut ii deinde si sub coelo versentur paulo inclementiori, vel minimo admisso refrigerio, in summa adigantur vitae et sanitatis discrimina. Graviorem longe et nostris tempo-

ribus vix non multo frequentiorem ii committunt errorem, qui scopo tenerum infantis organismum contra funestas refrigerii sequelas praemuniendi, et ut ajunt obdurandi, eos temerario plane consilio cuivis coeli inclemenciae, et repentinis quamvis temperaturae vicissitudinibus objicere non dubitant, imo infantem vix utero materno exclusum, parum ab aëre frigidiori defendunt, immemores inter aëris etiam ejus, qui adultis debite calere videtur, et uteri materni temperaturam, summum intercedere discrimen, refrigeriumque tenero infantis corpori admissum, multorum quibus tot homines per totam dein vitam misere vexantur morborum fontem constituere uberrimum. Perversa ista cogitandi agendique ratio, quae tamen in libris plerisque paedagogicis veluti *sacra sanitatis ancora commendatur*, pseudo-philosophicis innititur principiis, cūjus falsitas facillime demonstratur. Caloricum etenim praecipuum vitae constituit pabulum, debitus caloris gradus inter conditio-nes vitae maxime necessarias pertinet, qui si tenero infantis corpori subtrahatur, imbecille illud evadat oportet. Homines tali ratione educati tantum abest ut debitam inclemenciae aëris praestent oppositionem, quin potius veluti thermometra viva, sensiles nimium quoad levissimam ejusdem vicissitudinem fiunt, omnesque ingratos tempestatis influxus anxii fu-giunt.

§. 24. Refrigerio, quacunque tandem ratione admisso, praeter intimeras, quae inde prodeunt molestias, functionem hepatis laedi, laesam ejus functionem digestionis, et assimilationis turbas ciere, unde habitus dein corporis tener, macilentus ultra modum

sensilis emergat, ex theoreticis, aequae ac practicis rationibus intelligitur. Aëri semet frigidiori a tenebris ungaviculis asvefacere velle, rationibus organisni individualibus contrarium svadentibus, hoc consilio, ut refrigerii pericula eo certius in posterum evitentur, non minus est absurdum, quam si quis ad vitam a famis periculis praemuniendam, fame se torqueret vel aliquot sibi ictus infligendos quotidie curaret, hoc consilio ut plures dein ictus commode perferre possit.

§. 25. Falsum hocce educationis puerorum physicae argumentum, quod nostris temporibus adeo invaluit, funestissimos quoad multiplicationem generis humani impediendam exserere effectus, fidissimis medicorum practiceorum observationibus et testimoniis comprobatur. Jam dudum inter medicos, ex repetitis quae in diversissimis regnis factae sunt observationibus constat, dimidiam infantum partem priusquam annum aetatis tertium attingant emori. Quaeritur unde tanta in aetate adeo tenera mortalitas repetenda sit, quaenam aliae causae mortem tam praeauram adferentes praeter eam quam posuimus possint cogitari? Pathematibus animi, quae apud adultos tam violenter in corpus reagunt, tamque vehementes in eo solent ciere tumultus, hic nullus conceditur locus. Neque justa morborum connatorum oriri potest suspicio, cum constet rusticos, et rusticas apud quos eadem mortalitatis infantum ratio constat, corpore et viribus plerumque optime valere; errores diaetetici hominibus istis naturam ut plurimum ducem sequentibus, partim ob rei familiaris angustias, partim ob naturalem rerum quas ad app-

titum acuendum luxuria excogitavit aversationem, non sunt solemnes. Dentitionem difficilem (quamvis eam multi medicorum negaverint) etiam apud ruricolas caussam praeauratae mortis non nunquam constitueret uegari non potest. Affirmare tamen tuto licet, dentitionem difficilem, cum aliis momentis causalibus forte concurrentibus, quales sunt, morbi contagiosi, variolae morbilli etc. unitam, ne dimidiam quidem victimarum partem, quae ante annum aetatis tertium fato prae-maturo occumbunt, orco tradere. Quodsi ea quae hucusque dicta sunt, mente ab omnibus opinionibus praecognitis libera perpendantur; si ab una parte summae systematis culanci hac aetate sensibilitatis, summae organorum minus adhuc evolutorum teneritudinis ab altera parte innumerarum refrigerii occasionum, quae per baptismum, in aedibus sacris peractum, per continuas teneri infantis agitationes, per sordes, et excretiones proprias, per instinctum eorundem inexplicabilem aquam, et res humidas sordidas manibus continuo contrectandi evenire possunt, rationem iustum habeamus: mirari sane non amplius poterimus, tantam esse infantum in ipso fere vitae limine mortalitatem.

§. 26. Non minus quam tenera infantum, proventior etiam senum aetas sensilem valde organismum humanum erga refrigerium iterum reddit. Paralyses, et apoplexiae adeo hac aetate frequentes uti etiam podagra, et arthritis, indissolubiles fere senectutis comites rarissime ex fonte alio quam ex refrigerio incante admisso solent redundare. Apoplexiae, et hemiplegiae per totam dein vitam durantes, in aetas et infantum tenera multo sunt frequentiores, quam

iis quibus experientia deest, videtur. Sicuti in ambo bus vitae extremis in aetate infantili, et senili cerebrum praecipue, et saepius oculi organa ea sunt, quae recremento morbose retento afficiuntur: ita aetate humana ulterius progrediente puerili nimirum membranae narium pharyngis, intestinorum muciparae, invenili larynx, et bronchii, virili substantia pulmonum pleura, et hepar partes corporis consti tuunt, quae turbatae cutis functionis effectum praeliis participes, eam quam supra dilucidavimus, polaritatem et antagonismum produnt, morbosque per totum saepius vitae curriculum superstites producunt.

§. 27. Peculiares hoc respectu a sexu muliebri committuntur abusus, tantique quo ad genus huma num momenti, ut singulari capite pertractari me reantur. Ea nimirum sexus sequior, aut pars saltem ejus, quae magis venustatis corporis ostendane, quam sanitatis propriae studiosa est, laborat vanitate, ut modo hierodulas Graecorum, modo nymphas Parisienses imitata, partes quas pudor aequi, ac cura sanitatis sedulo celare saderent, partes nimirum subaxillares, et regionem mammarum, incunabula item generis humani eorumque atrium, uterus puta, et vaginam, veste parum diligenter tectas plerumque ha beat. Cum hae partes corporis temperatura altiori, minusque quam aliae corporis plagae, mutationibus obnoxia polleant, hinc fit, ut suppressa cutis alibi per refrigerium functione, recrementique animalis excretione praepedita, functionis hujus energia in regione subaxillari, et utero ratione antagonistica, seu hic in proprio vocis sensu vicaria excitetur. Inde sudoris subaxillaris ingratissimum, et diutius adhuc in

cibili ubi tales feminae commoratae sunt, permanen-  
tem spargentis; inde fluoris uteri albi magis adhuc  
abominandi, origo explicatur. Geneseos fluoris albi  
mirae plane in scriptis pathologorum occurunt in-  
terpretationes, quae modo potui theaæ, ut potui  
calido, modo lectioni fabularum romanensium, poë-  
matum item eroticorum, modo ludis quibusdam la-  
scivis occultis infamibus, non nominandis adscribitur,  
quae tamen refrigerio partibus mulierum genitalibus  
parum tectis, maleque ab injuriis aëris externi defen-  
sis toties admisso, multo rectius, et verius adscribi-  
tur. Summe denique memorabilis malorum sexum fe-  
mineum longe frequentius quam virilem infestantium  
exercitus, nevroses quippe variae, saepius insanabi-  
les, rarissime ex alio fonte, quam ex laeso per re-  
frigerium integumentorum communium officio, solent  
redundare. Qnod morbi nervosi adeo frequenter  
salutiferae artis conamimib; pertinaciter resistant,  
vix aliam caussam assignare licet, quam quod rarissime  
verus eorum fons detegitur, frequentissimæ eorum  
caussæ refrigerii nulla fere ratione habita. Sed  
etiamsi genuinus eorum fons reperiatur, rarissima  
tamen est conditio morbi nervosi radicaliter sanati,  
manifesto iterum indicio materiam perspirabilem re-  
frigerio retentam, et in organismi interiora reper-  
cussam veneni lenti instar agere, nervilema nimi-  
rum, vel medullam forte ipsam nerveam inficere, ei-  
que tam arcte inhaerere, ut nullis amplius remediis  
lucidum notis inde possit eliminari. Nonne saepius  
licet experiri, puellas iu ipso aetatis flore constitu-  
tas, corpore ad dimidium fere denudato, vel vesti-  
mentis radiorum lunæ subtilitatem, et nebulae ma-  
tutinae tenuitatem imitantibus tecto, ex choreis pu-

blicis vel oblectamentis aliis, corpore aestuante domum reversas, insignia protinus specimina pathologica exhibere, longa spasmorum debilitatam nervorum energiam testantim serie corripi, iisque per vices deinde vel ad levissimam refrigerii occasionem revertentibus per totam vitam misere divexari.

§. 28. Quodsi eorum quae hucusque dicta sunt veritatem tristes saepius experiri cogimur; cum porro repetitas medicorum aequa, ac ethicorum hoc respectu exhortationes omni fere fructu destitui, ex levitate autem ista animi mulierum, matrum generationis futurae funestissima in eam redundare mala videamus: quis est, qui non necessitatem absolutam, vanitatem hanc mulierum legibus salutaribus medico-politicis coercendi perspiciat? Antiquissimis temporibus apud Graecos et Romanos publicas de luxu, et vanitate muliebri coercenda, re item vestiaria in scopum sanitatis dirigenda leges irrogatas suisse legimus. Quid impedit quominus idem hodie obtineat? Ad hunc vero finem eo certius obtainendum moralis etiam, et physica puerorum educatio corrigenda, et ita instituenda erit, ut cum adulti amore alterius sexus ardere incipiunt, non adeo niveum humororum candorem, in fabulis romanensibus Lafontainianis adeo collaudatum, teretemque eorum formam, simulatam item remediis cosmeticis partium, quas pudor celare deberet venustatem; sed sanam potius in sano corpore mentem studiisque, ut captus fert muliebris, exultam, praecipue autem mores ad leges honestatis, et pudicitiae compositos debito amoris et venerationis cultu prosequantur.

§. 29. Morborum longe plurimos turbatae systematis cutanei functioni originem suam debere supra statuimus. Nunc ulterius progredimur, et affirmamus: *nullum plane esse morbum, si contagiosos excipias, qui non inde possit oriri.* Universum eorum agmen recentere angustiores opusculi limites vetant. Juvat tamen praecipuos eorum, et in praxi quotidiana frequentius occurrentes breviter perstringere. Febris inflammatorii, iis quae genesim suam laesionibus mechanici debent, exceptis, vix aliam in casibus longe plurimi s. praeter refrigerium caussam subesse plusquam verosimile est. Cujus quidem asserti veritas inde elucet, quod quotiescumque febres tales rusticos, mercenarios, vel alios homines corpore, et viribus valentes corripunt, id semper fere hyeme vel ventis frigidis aquilone, aut euro flantibus, aestate vero tempore messis, cum corpore aestuanfe, laboribusque immensis fracto in terra humida, repentinae temperaturae vicissitudinis parum solliciti decumbunt, verbo enim refrigerii occasio facillima est, accidere soleat. Febres ipsas intermittentes in vicinia paludum stagnantium adeo frequenter evolutas, quarum origo miasmati e paludibus illis stagnantibus excluso, problematico illi quidem, et nunquam demonstrando vulgo tribui solet, refrigerio ut plurimum adscribendas esse vel inde patet, quod illae arti omnino rebelles nonnisi arsenico plerumque sanari queant, et soleant, certo indicio recremento animali per refrigerium retento, ad interiora repercuesso systema imprimis gangliosum cavi-thoracis, et abdominis velut veneno quodam affectum, febremque adeo cujus indoles mere nervosa est, non aliis nisi heroicis ejusmodi remediis, quorum nimia dosis vehementiores exserit effectus, debellari posse.

§. 30. Eandem quam modo defendimus febrium intermittentium genesim comprobat etiam id, quod pleraque illarum si statim initio remediis diapnoicis, praecipue autem, quod hic ut specificum agere videtur, potū arabico cui succus citri mixtus est, tempore intermissionis tractentur, facili negotio supprimantur. Febres gastricae, et biliostae nihil aliud plerumque sunt, quam reactiones turbatae systematis cutanei functionis, in quibus nimirum energia hepatis, et totius tubi intestinalis tractus, secundum polaritatis, et antagonismi legem excitata, ad secretiones istas vicarias qualitate aequa ac quantitate abnormes, materialem, et dynamicam simul febrium gastricarum, et biliostarum caussam constituentes, abripiatur. Idem de typho variisque ejus speciebus, typho contagioso, bellico etc. affirmare licet, ad quos quidem interius sustentandos licet etiam alimentorum defectus, indoles eorum depravata, aër item corruptus, pathemata denique animi suam conferre symbolam negari nequeat: suinam tamen iis radicaliter curandis defectus caloris debiti ponit difficultatem. Vel ipsa contagiosa typhi indoles, quae in reconvalescentiae stadio adhuc superstes, imo tunc major esse solet, satis superque evincit venenatam, quam supra proposuimus materiae perspirabilis in organismi interiora repercussae naturam, quae quoisque per totum qua late patet sistema nerveum diffusa erat, symptomata illa periculi plenissima produxit, sudoribus nonnisi vel artis vel naturae medicatrixis opera productis, debellanda.

§. 31. Verosimile etiam est, scrophulas ipsas ex non alia plerumque, quam quae jam fusius expo-

sita, est caussa derivari, humoresque scrophulosis proprios indolem acrem, et acidam exhibentes nihil aliud esse ac perspirabile cutaneum in corporis interiora reversum, per influxus incognitos mirifica plane ratione ita demum modificatum, ut sub forma scrophularum in conspectum prodeat; qui quidem morbus non minus quam arthritis jure haereditario, licet haud ita frequenter ut vulgo creditur, ad liberos transire potest. Natura morbi hujus conatibus artis adeo saepe renitens cuique practicorum satis nota est. Si quando curatio ejus fausto coronetur successu ea semper fit per media totum systema nervum stimulo vehementiori ferientia, quae sola veneno materiae repercussae toti jam systemati nerveo inhaerenti resolvendo, et eliminando sufficient. Difficilis hujus morbi scrophulosi sanationis caussa non aliunde repetenda erit, quam quod ille in casibus longe plurimis metaschematismum tantum constituenta, serius se manifestet, cum nempe recrumentum cutaneum interiora jam nervorum penetravit, eoque indolem suam venenatam nimium quantum auxit.

§. 32. Ex ingenti morborum chronicorum serie icterum tantum adferemus, cuius origo ex refrigerio incaute admisso deducta ex longe aliis vulgo fontibus derivari solita, multos medicorum offendat operatur. Ictero multos homines in ipso aetatis flore constitutos, quin pueros inter 8. et 10-um aetatis annum versantes laborare saepius experiri licet, originem vero ejus a refrigerio saepius repetendam esse inde patet, quod non aliis, saepius, quam diaphoreticis curari possit remediis. Neque adeo rara est occasio,

icterum vel apud pueros rite evolutum videndi, nec valde rara ejusdem ope caloris camphora, remediiisque aliis diaphoreticis felicissime sanati exempla. Denique enterorheumatalgiam uti etiam ipsam dysenteriam refrigerio produci posse, plurimi jam antiquissimis temporibus pathologi perspexerunt. Monographiarum tamen plerarumque auctores simplicitatem adeo naturalem aversantes, totum enteridis enterorheumatalgiae, et dysenteriae earumque divisionis, et subdivisionis schema adferunt, singulos cuique morborum diversarumque ejusdem specierum fontes assignando.

§. 33. Multos, qui ex refrigerio derivantur morbos rheumaticos, et catarrhales enumerare, cum de iis in systematibus nosologicis uberioris disseratur, supervacaneum esset. Sufficiat igitur epilepsiae, catalepsiae, choreae sancti Viti morborumque animae breviter tantum meminisse. Hos morbos refrigerio oriri celeberrimus G. H. Ritter iterum testatur; epilepsiam e. g. in juvene, qui corpore aestuante in fluvio semet lavabat, choream sancti Viti in pueri tempestate pluviosa aëris inclemutiae exposito ibique relieto, maniam denique in juvene leviter inebriato tractui aëris frigidioris obnoxio, intra breve temporis spatium in summo gradu evolutas refert.

§. 34. Neque illud silentio praeteréundum assertum esse videtur, quamvis absurdum illud, et paradoxum prima fronde cuique appareat: morbos quippe ex turbato systematis cutanei officio derivandos, in ipso cubili calefacto ori si posse, quid? quod multo frequentius ibidem, cum summa verosimilitudine apud

homines, qui vitam sedentariam ducendo musculos corporis parum exercent, aëre libero rarius fruuntur, quam apud illos, qui crebrius in aëre versantur, evenire. Cujus quidem ratio rei partim in minus commoda fenestrarum constructione, in quarum tamen vicinia homines ejusmodi vel studiis, vel aliis laboribus continua dediti sedere solent, subtili quidem, sed eo nocentiori aëris frigidioris tractui ibidem obnoxii; partim exiguae quam ipsi habere solent vestimentorum, et pedum praecipue in calore debito tenendrum curae, calefactioni denique cubilium inaequabili erit tribuenda. Saepius observare licet, homines cubilia ultra quam par est calefacta deserentes, temperatura aëris externi paulo frigidiori vehementius affici. Noxiae horum momentorum caussalium quoad sanitatem sequelae serius tandem animadvertuntur, perspiratione nimis per plures septimanas imo menses imminuta, turbata; ita ut jam multo minus perspirabilis cutanei excernatur, idque retentum, et accumulatum manifestas jam in aliis organis functiōnibus, et excretionibus turbas cire, originemque eorum genuinam malum inde ortum manifeste prodere incipiat. Hinc deinde sequitur, ut si post plures menses imo saepius annos aegrotus talis de coenaesthesia universa alienata appetitu prostrato, digestione tarda difficulti, ingrato oris sapore etc. queratur, status tandem manifeste febrilis, cum abnormi viscerum secretionē se insinuet: nullam valetudinis adversae caussam assignare valeat, refrigerii autem cum vix cubile suum deseruit, possibilitatem vix ac ne quidem admittat.

§. 35. Eadem ratione magnum chronicarum capitatis, colli, faciei, dentium, affectionum, exanthēma-

tum item agmen, malaque caetera innumerabilia, fluor albus, hysteria, hypocondria (quamvis ad harum genesim plura etiam concurrere momenta libenter concedamus) originem sumunt. Quodsi tales homines sedentariam in cubilibus clausis vitam ducentes, ad exclusionem caloris animalis promovendam, corpus suum frequentius exercere, occasionemque refrigerii tali ratione evitare animum inducere possent, rarissime morbis istis medico aequa ac ipsis molestis corriperentur.

§. 36. Hujus denique loci est lotiones capitis, capillatae quippe ejus partis aqua frigida institutas, quae crebram pariter laesae systematis cutanei functionis caussam constituant, commemorare. Multis admodum hominibus haec consuetudo, quae ad munditiem capitis promovendam omnino confert, aevo nostro solemnis est. Duplex tamen in ea plerumque error committitur, quod nimirum vix lecto surgentes, caput calore lecti adhuc aestuans frigida lavent, tum vero illud vix adhuc siccatum contra injurias aëris externi frigidi defendere negligant. Tunc id, quod supra exposuimus accidere solet, quod minirum aqua, ut in vapores expansa evanescere possit, calorificum parti proximae capiti nimirum subducat, cui deinde phaenomeno suppressio perspirationis cutaneae cum caeteris ejus symptomatibus morbosis comitem se adiungat oportet. Ita quotidie innumerae morborum species odontalgiae, tinnitus aurium, ophthalmiae, blepharospasmi, coryza quin ipsa cataracta nascuntur, quin tamen vel minima genuinae horum malorum originis adsit suspicio. Ut malis hujus generis occurratur, caput apprime tegendum est, omneque

ejus cum aäre externo frigido commercium, donec capilli probe siccati fuerint intercludendum.

§. 37. Ab anno aetatis 25—50 validissimam organismus nocivae aëris frigidi actioni praestat oppositionem. Ab hac aetatis periodo ingrato jam turbatae systematis cutanei functionis sensu ille affici incipit, qui quidem sensus ingratus aetate progrediente crescere semper solet, ita, ut aetas proiectior rarissime ea immunis sit. Homo hac actate constitutus miratur initio se jam minima temperaturae vicissitudine, cuius nullam hactenus rationem habuit, ingrate affici, ingratum hunc sensum contemnendum esse putat, nec semet mollitiae asperfaciendum. Verum brevi postea tristes negligentiae hujus sequelas experiri cogitur; dolores sunt semper atrociores, intolerabiles, et ex immensa morborum cohorte, qui refrigerio concitari solent, ille aegrum corripiet, qui maximam in eo sui dispositionem invenerit. Qualis hinc regula diaetetica sequatur, id vero per se inteligitur:

*Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras;  
Aestate enim proiectiore et malo jam inveterato,  
Frustra per autumnos nocentem  
Corporibus metuemus austrum.*

Horat.

## Pars III.

### Therapeutica.

§. 38. Licet natura provida cutem humanam nocivis aëris externi caloris, et frigoris actionibus non penitus immunem reddiderit: tanta tamen organismum universum virtute praeditum esse voluit, qua se fayentibus rerum adjunctis a recreemento cutaneo morbose retento; per reactionem validam specifica veneni istius indole tamquam stimulo alieno excitatam — quam reactionem febrim dicimus — liberare queat. Reactio ista saepius in superficie cutis externa in forma exanthematum leviorum indolis benignae, dolores tamen, et ardorem haud mediocrem excitantium se manifestat. Exanthemata haec crises morborum genuinas constituant, tres quatuorve dies durant, in vita communis sub nomine erysipelatis nota sunt, meritoque pro veris naturae medicatricis manifestationibus plerumque habentur. Hoc tamen naturae medicatricis opus tunc nonnisi in conspectum prodit, cum quantitas materiae perspirabilis retentae non adeo magna est circumstantiis etiam aliis debite faventibus; producta ejus in aliis casibus multo majoris sunt momen-

minibus circa curam corporis sui committuntur excessus, abususque stultissimos consideremus: quaerere saepius possumus: an homo sit animal rationale? Si tractui aëris frigidioris nos exponere, in aëre frigidiori locis humidis versari, res humidas, frigidas tractare necessitate, et vitae rationibus jubemur: per consentaneum semper virium, et muscularum exercitium, calorici exclusio promovenda erit, ad id quod per frigus intensius corpori subtrahitur, debite resarcendum. Nulla alia in his rerum adjunctis morbis occurrendi sanitatis que conservandae dantur media. Qui consilium hoc sequi voluerit: persvasus sit, se ex decem morbis ipsi imminentibus novem certe evitaturum. Quodsi mos, qui apud Mahomedanos obtinet, effata quaedam Korani praestantiora ad aedificandos fideles, eaque menti eorum altius imprimenda, parietibus appingendi, laudandus ille quidem, scopoque qui intenditur apprime respondens; apud nos ad res gravissimi quoad totum genus humanum momenti transferretur: literis uncialibus aut potius pedis Parisiensis longitudinem aequantibus, supra portam aedium singularum adscribendum esset sequens sanitatis tuendae praeceptum: Cura m perspirationis tuae gerito, ut longaevis sis in terra, et secunda fruaris vales tude.

§. 40. Therapiae morborum ex laesa perspiratione cutanea ortorum praecipua tantum capita summatim attingere, angustiores opusculi limites permitunt. Si specialem singulorum curam exsequi vellemus, totius Therapiae specialis campus percurrendus esset. Pulchrum quidem semper est, et landabile morbis rite evolutis mederi, pulchrius tamen longe

est, et iandabilius eosdem in primo statim germine suffocare. Quoad nullum plane morborum genus praecipum istud sanae rationis „principiis obstat“ magis in usum devocandum, nec efficaciori unquam applicatio ejus sine mora suscepta coronatur successu, quam cum morbos ex laesa perspiratione originem ducentes, tractandos habemus. Quod quidem praecipum eo magis therapeutae cuique rationali, et bene cordato sequendum semper erit, quia morbos tali ratione provocatos facile in inflammationem transire, inflammationem autem morbum magnis plerumque periculis stipatum constituere, morbos denique tales initio acutos in chronicos plerumque abire vix ac ne vix quidem dein sanandos, ex observationibus quotidianis constet. — Indicatio maxime universalis quae nullam fere admittit exceptionem, consistit in restitutione processus cutanei a recto tramite deviantis, imminuti quippe vel suppressi. Restitutio ista optime ope caloris lecti continui instituitur — cuius quidem defectum nulla alia remedia supplere possunt, — saepissime vero omnibus aliis remediis anteponendi. Asserti veritatem manifestissime summi ejus, quos in coryza sananda exserit effectus evincunt, cuius symptomata molestissima, puta; obturatio narium coenaesthesia universa alienata, caput temulentum, tempore lecti intra breve saepius temporis spatium mitigantur, aegroto vero lectum deserente utut probe induto, in aere secus debite calente versato, imprimis obturatio narium revertuntur, calore lecti iterum evanida.

§. 41. Si actio refrigerii admissi in corpus vehementior animadvertiscatur, quam ut medicus recte sperare possit fore ut morbus celerato progrediens cur-

su, tempore lecti infuso florum sambuci etiam in auxiliū vocato debelletur, si manifesta fortioris systematis cutanei reactionis, inflammationis cutis erysipelaceae vestigia conspiciantur, dolores vehementiores accusentur: tunc vero ad camphoram singularis in hoc casu virtutis medicamentum confugiendum erit. Usus camphorae cum tempore lecti infusoque florum sambuci conjunctus, perspirationem cutis fortiorem producit, jam intra 24 horas manifeste salutarem. Methodus ista in omnibus morbis hujus generis indicata est ita, ut omni secunda hora 1 — 2 ejus grana exhibeantur, in forma pilularum, quae forma exhibendi omib[us] aliis merito praefertar. Contra cynanchen vero fancium praestat eandem forma fluida propinare, siquidem tunc localem, eumque valde salutiferum effectum exserat. Quamvis vero camphora ad catarrhales etiam effectiones sanandas saepissime sufficiat: aliud tamen remedium longe efficacius contra eas melius adhibetur; nimirum opium et quidem praeparatum ejus ab acido meconico liberum sub morphii nomine notum. Tussis quaecumque, quae originem suam catarrho debet eoque sustentatur tutissime, et citissime opio, et quidem minimis ejusdem dosibus sanatur. Adultis  $\frac{1}{4}$  —  $\frac{1}{6}$  —  $\frac{1}{8}$  granum in decocto altheae hora omni secunda porrigidendum, pueris autem  $\frac{1}{8}$   $\frac{1}{10}$   $\frac{1}{12}$  grani partes quae quidem per guttas tincturae opii sacharo instillas, et ita in doses divisas optime dispensantur. Medicamentum hoc instar verae panaceae merito habetur. — Ut surrogata horum remediorum in casu necessitatis, potus calidus vulgo *punsch* non adeo concentratus, substantiae item aromaticae, cuminum cyminum, baccae iniperi, anisum, chamomilla in infuso porrecta, cere-

visia item fervida, vinum aqua mixtum fervide sum-  
tum, Iac denique fervidum vices diaphoreticorum  
quodammodo supplere possunt, cum agitur de morbo  
oujus culpam refrigerium gerit in germine suffocando.

§. 42. Ut remedium potentissimum ad evolutionem  
morborum, de quibus sermo est praepediendam, com-  
mendari meretur etiam balneum tepidum, enjus ta-  
men usus summa circumspectione regendus erit.  
Temperatura ejus nunquam infra 30° R. esse debet,  
quae per affusionem aquae calidae recentis continuam  
sustentanda erit. Aeger balneum tepidum deserens,  
quin corpus ejus siccatur, vel abstergatur lecto pro-  
tinus tepido collocandus, in eoque ulterius etiam ser-  
vandus et fovendus erit, ne vel minima refrigerio  
occasio detur quo quidem admissa, balneum tepidum  
morbos non curabit, sed exasperabit. Idem valet  
etiam de balneo vaporis. Pro praecipuo morborum  
perspiratione cutanea morbosa productorum medica-  
mento habenda sunt etiam vestimenta ex flanelo con-  
fecta cutem immediate tegentia, si nimirum tempore  
necessitatis nec ultra illud gerantur. Vestimenta  
talia uti prophylactica contra refrigerii pericula ge-  
rere — quod medici Angli etiam sanis svadere sa-  
lent, nonnisi iis est consultum, qui abjectis talibus  
vestimentis morbos sibi illico contraxisse, iteratis vi-  
cibus experti sunt. — Denique nec frictiones cutis  
nostris diebus rarissime usitatae, sua carent utilitate,  
vimque medicamentorum aliorum, quae supra lauda-  
vimus salutarem mirum in modum adiuvant.

§. 43. Huic indicationi etiam tunc satisfaciendum erit,  
cum morbus refrigerii progenies penitus evolutus est,

omnisque cura eo collineare debet, ut laesum systematis cutanei officium quanto ocius restituatur. Liceat febres gastricobilioas, saburrales, pituitosas, nonnunquam occurrere easque sordibus primarum viarum, ut momento causaliter sustentari, lubenter concedamus: saepissime tamen sordes istas gastricas nimium uti videatur a medicis practicis aestimatas, non caussam morbi febrilis, sed productum potius perspirationis cutaneae imminutae vel suppressae — cuius febris symptomata sit — constituere, easque proinde methodo dia-phoretica normalem cutis functionem restituente radicaliter in casibus ut plurimis sanari, firmiter persuasi sumus.

§. 44. Sicuti refrigeria vel minimo gradu admissa morbos acutos producere possunt: ita saepius causale morborum chronicorum momentum constituunt; id quod tussis ferina, et prosopalgia, tam horrendis saepius symptomatibus sociata comprobant. Ambo hi morbi ita oriuntur ut recrementum animale morbose retentum et resolutum ad subtilissimas nervorum diramationes reperiatur, eidem arcte inhaereat quod dein nullis aliis mediis tutius, et certius sanatur quam iis quae in minima dosi porrecta in nervos potenter agunt, eosque adeo incitare valent, ut materia ista aliena per oscillationem quasi remediis violentis productam eliminetur. Tale remedium agnoscinus in belladonna. Tussis ferina certe non est morbus primarius, nihilque aliud est nisi catarrhus vulgaris cuius genesis morbosae nervorum laryngis per recrementum animale retentum affectioni adscribenda est. Ob regimen perversum fomite morbi ulterius dein propagato, vicinae nervorum diramatioes, eae

imprimis nervi phrenici, et paris nervorum octavi in consensum trahuntur. Quo facto morbus nervosus paucis adhuc antea simplex, modo complicatus; et rite evolutus apparet. Spasmis nunc diaphragmatis turbae respirationis, spasmis ventriculi vomitus concitantur; plexus tum omnes nervorum vicini, praeципue vero plexus solaris magnus sympathico modo afficiuntur. Quodsi contagiosa tussis ferinae natura aequa ac phthiseos pulmonalis evinci posset: novum ea argumentum pro venenata recrementi cutanei morbose retenti, in gradu eminentiori indole demonstranda suppeditaret. Tis sot jam 40 antehac annis affirmabat, catarrho neglecto plures homines encari quam pesti. Exitialem hanc morborum refrigerio contractorum naturam latius extendendam, nec ad catarrhum solum restringendam esse, — pro qua rite designanda, et exprimenda idoneum nomen plane deficit — ex supra dictis intelligitur.

**§. 45.** Justo prolixiores in argumento tam trito, et vulgari exponendo fuisse, anxiumqne nimis et operosum vitae regimen lectoribus nostris obtradere velle quibusdam forsitan videbimus. Sed hi plerumque erunt, qui antiquum istud proverbium: „*nihil infelicius quam medice vivere secuti velut melus omnes, et inexorabile fatum pedibus se animo forti subiiecisse videantur*, vel cum insatiabili voluptatibus et deliciis vitae fruendi cupiditate trahantur, genio suo indulgere quam corporis, et sanitatis suae continuo solliciti esse malint. Cujus quidem temeritatis illos, hos vero levitatis animi serius ocius poeniteat oportet. Amorem vitae per sapientissimum rerum conditorem cuivis animantium generi inditum esse; eumque tanto

magis augeri quo magis vita ad interitum properet: phthisicorum, et longe magis adhuc eorum qui autochiria pereunt, exemplo comprobatur. Plurimis enim exemplis constat, plerosque horum temerariorum, nefandi sui incepti, cum nulla amplius vitae spes supererat poenituisse. Quo alludit poëtarum latinorum princeps Virgilius cum de Didone, quae violentas sibi intulit manus moribunda dicit:

*Quæsivit coelo lucem ingenuitque reperta.*

Qui morbos ex refrigerio ortos imfensissimos vitae et sanitatis hostes esse, iis quae supra diximus, frequen-  
tissimis item experientiae quotidianæ testimoniis  
persvasus fuerit: ille vero nos commentationem no-  
stram angustioribus quam par erat limitibus circum-  
scripsisse existimabit. Summa certe omnium quae  
clementia divina nobis largitur munerum et bono-  
rum vita est; vita vero sine valetudine nulla est,  
quod poëta noster celeberrimus Janus Pannius, lon-  
ginquo ipse correptus morbo eleganter sic describit:

*Ergo ego quae nobis fuerint data tempora vitae.*

*Infelix inter tot mala semper agam? etc.*

*Tollite me potius, nec in hos servate labores:*

*O! si quos tangunt inferiora, Dei!*

*His ego cum poenis vel Croesi regna recusem,*

*His ego cum poenis nec Deus esse velim. etc.*

*Vita valetudo est; jugi qui peste laborat,*

*Non vivit, lenta sed mage morte perit.*

*Sphalmata typi extantiora :*

pag. ordo loco:

- 2 27 corpus ponderis  
9 9 ipso hauritur  
22 20 physica  
39 24 velut

lege

- pondus corporis  
ipso quo hauritur  
psychica  
vel ut

